Castren. Premisliensi Nobilis Michaelis Gross Homaznighy de Trib. Districtibus Iuribusque suis quibusuis propriis ac foro competentem declinans fori eo ipso iurisdictioni se ac successores suos bonaque sua omnia quo ad hunc actum attinet incorporans et subijciens sanus mente et corpore praesens palam et expresse recognouit. Quia a Nobili Wasko Homaznighy summam Centum Quadraginta florenorum pecuniae in Polonia debiti certi ipsius per eundem actis praesentibus soluti inscripti totaliter et in effectu recepit ac manualiter leuauit. Ratione cuius receptionis et leuationis summae praefatae eundem Wasko Homaznighy et suos successores quietat liberumque ac immunem facit et quietat perpetuis temporibus. Subscriptionemque ipsam Castrensem Premisliensem superius nominatam summae eiusdem cum omnibus suis conditionibus omnino clausulis et obligationibus cassat annihilat mortificat mittitque perpetue et in omnibus sibi et successoribus suis ratione praemissorum perpetuum imponens silentium praesenti sua recognitione mediante. Quod ad acta ita firmatum est.

Thurzanski refor mat Consorti

Comparens personaliter Coram officio et actis praesentibus Castren. Premisliensibus Nobilis Amereij Thurzanski de Lozy a Trib. Districtibus Iuribusque suis quibusuis propriis ac foro competentem declinans fori eo ipso iurisdictioni se ac successores bonaque sua omnia quo ad hunc actum attinet incorporans et subijciens sanus mente et corpore praesens palam ac expresse recognouit. Quia post Nobilem Annam filiam Nobilis Jacobi Halczighi Consortem suam legitimam summam Trecentorum florenorum pecuniae dotis recepit ac manualiter leuauit. Qui[illegible] eo amore coniugali erga eandem Consortem suam aliam similem summam Trecentorum florenorum pecuniae ratione dotis et iuris dotalicij alias przyprawiam eidem assignat. Quam quidem summam dotis et dotalicij simul iunctam [illegible] in et super medietate omnium generaliter bonorum suorum haereditariorum et obligatoriorum mobilium et immobilium summarumque pecuniarium quae sunt libera et munda a reformatione prioris Consortis suae reformat inscribit demonstrat et assecurat. Ita quod ipsa Anna Consors sua in summa dotis et dotalicij simul iuncta sexcentorum florenorum pecuniae bona suprascripta omnia cum omni iure dominio et proprietate tenebit habebit possidebit eisdemque perfruetur atque utetur more et consuetudine aliarum reformationum haerentium et diutius in Regno obseruatarum. Nihilominus tamen praefatus Amereij Thurzanski se et suos successores ac bonis suis omnibus Nobili Jacobo Halczighi suo Compatri et suis posteris obligat et inscribit hanc reformationem suam ad acta Castren. ad acta Terrestria Premislien. ad certum terminum transferre et transportare sub damnis [illegible] abseque corporali iuramento toties quoties sub poenis superius nominatis. Thurzanski cum successoribus suis praefatus Halczighi aut suis posteris citare permisit toties quoties coram foro competenti coram praedicto Castren. Premisliensi officio cum suis Castrensibus praetextu respectu cum haeredibus bonisque suis omnibus ultro incorporat semper in primo citationis termino tanquam peremptorio stare parere respondere ius dicere se suosque contentos satisfacere cum suis successoribus toties quoties peremptorie et aliis subterfugiis nullis uteretur cum Collationibus Motionibus appellationibus earumque prosecutionibus Iussionibus Prorogationibus Suspensionibus praeterea contraria Marzaru Dillationibus ac Quietationibus Statutique et Constitutionibus laudatis et laudandis eisdem sibi et suis successoribus omnibus iuris et facti remediisque renuntiando et abdicando. Quod ad acta firmatum est.